

## OREMUS.

*Deus, cuius misericordiae non est numerus, et bonitatis infinitus est thesaurus: piissimae Maiestati tuae pro collatis donis gratias agimus, tuam semper clementiam exorantes; ut qui petentibus postulata concedis, eosdem non deserens, ad praemia futura disponas.*

*Omnipotens sempiternae Deus, miserere famulo tuo Ministro nostro N., et dirige eum secundum tuam clementiam in viam salutis aeternae, ut te donante tibi placita cupiat et tota virtute perficiat.*

*Concede nos famulos tuos, quaesumus Domine Deus, perpetua mentis et corporis sanitate gaudere: et gloriosa Beatae Mariae semper Virginis intercessione a praesenti liberari tristitia, et aeterna perfrui laetitia.*

*Deus, qui Ecclesiam tuam beati P. N. Francisci meritis foetu novae prolis amplificas: tribue nobis ex eius imitatione terrena despiciere, et coelestium donorum semper participatione gaudere.*

*Actiones nostras, quaesumus Domine, aspirando praeveni, et adiuvando prosequere: ut cuncta nostra oratio et operatio a te semper incipiat, et per te coepta finiatur. Per Christum Dominum nostrum.*

R). Amen.

1648. Dictis Orationibus, Praeses Capituli resp. primus Definitor neo-Electum genuflexum paucis verbis alloquitur stans in suppedaneo ad cornu Evangelii, caeteris item stantibus. Finito sermone, novus Generalis accepto Sigillo a Praeside resp. primo Definitore ascendit Altare et sedet in cornu Evangelii, et omnes Capitulares, incipiendo a Definitore primo, aliis Definito-

ribus, ex-Generali, ex-Definitoribus Generalibus, etc. etc. cum debitis reverentiis accedunt et osculantur Sigillum et manum Generalis: quo facto, quivis praeter sex Definitores in Chorum interiorem se retrahit.

1649. Hisce peractis, Ministro Generali in scabello genuflexo manente, Sacerdos Pluviali indutus cum Ministris e Sacratio procedit, more solito cum Sanctissimo benedictionem impertit ac SS. Sacramentum reponit. Postea in locum Congregationis definitorialis P. Generalis se retrahit, ubi gratulationes et iuramentum Definitorum accipit de secreto servando.

1650. Si electiones terminentur noctu, SS. Sacramentum convenientius hac nocte manet expositum, et processio ac benedictio fiunt mane hora competenti.

1651. Absolutis omnibus actibus capitularibus, statuta die convocantur iterum Vocales ad refectorium, publicantur Ordinationes et Decisiones, si forsitan factae fuerint, ac dein Capitulum sermone, qui a novo Ministro pronuntiatur, dimittitur<sup>1</sup>.

## § II. — De ritu servando in Capitulo provinciali.

1652. Obtenta a Ministro Generali licentia, Provincialis, et ipso mortuo, Vicarius Provinciae seu primus Definitor, statuto tempore per Litteras citatorias Capitulum convocat, diem et locum celebrationis accurate indicans, electionem Discretorum, ubi fiunt, ordinans, aliaque disponens quae Capitulum respiciunt.

<sup>1</sup> Olim totum Capitulum processionaliter novem Basilicas Urbis visitabat, et simili modo a Romano Pontifice admittebatur ad osculum pedis: quae hisce temporibus in hac forma melius omittuntur.

1653. Pridie diei Capituli ad prandium, quo tempore omnes Vocales adesse debent, legitur Regula cum Testamento S. P. N. Francisci.

1654. In refectorio duo indices subsignati proprio nomine et sigillo per P. Provincialem parieti affigantur, quorum unus nomina Hebdomadarii, Lectorum, caeterorumque Officialium Capituli, alter vero ordinem Missarum exhibeat, in quo Definitores alique Patres aliqua ornati dignitate caeteris Capitularibus et familiae Sacerdotibus praeponendi sunt.

1655. Quando durante Capitulo SS. Sacramentum publicae venerationi exponi contingit, tertius insuper index affigendus est, exhibens nomina Religiosorum, quibus per horas SS. Sacramentum est adorandum.

1656. Post meridiem, hora a Provinciali determinata, P. Provincialis cum Definitoribus convenire solet ad probandas Discretorum electiones: qui Discreti iuxta ordinem in Albo descriptum intrant, Litteras testimoniales exhibent, et non nisi prius obtento signo a Provinciali abscedunt, osculantes cum intrant et cum recedunt manus Provincialis ac limen.

1657. Post Vesperas ac durante Missa conventuali, tum in loco Capituli cum in omnibus aliis conventibus Provinciae, dicitur Hymnus *Veni Creator* cum precibus et Orationibus ut sub num. 1535, et quidem hac die et tribus diebus subsequentibus pro prospero successu electionum aliorumque negotiorum capitularium.

1658. Mane diei electionis, Horae canonicae aliquantulum prius solito recitantur; post Tertiam ab Hebdomadario capitulari dicitur Missa conventualis, in qua omnes Clerici et Laici S. Communionem suscipere te-

nentur; qua finita dicitur a Praeside Capituli Missa de Spiritu sancto (vide n. 1106), cui omnes Capitulares et familiae Fratres adsistant.

1659. Hora indicta tria dantur signa pro congregatione Capituli; omnibus dein collectis, leguntur, ut num. 1624 dictum est, nomina Vocalium: leguntur quoque Litterae convocatoriae P. Provincialis: Decretum nominationis in Commissarium, si Commissarius Generalis Capitulum praesideat: ex Capite octavo Constitutionum Ordinis illa pars, quae incipit: *In omni electione....* usque ad verba: *Clerici quamvis non sint exclusive*, et illa alia: *Capitula Provincialia....* usque ad verba: *Ac dein cesset ut supra inclusive*; et Decretum Clementis VIII et Urbani VIII (vide n. 1625).

#### E CONSTITUTIONIBUS ORDINIS. CAP. VIII.

*In omni electione* (vide n. 1625).

*Capitula Provincialia habeantur quolibet anno, Feria VI secundae vel tertiae hebdomadis post Pascha vel alio anni tempore, secundum Provinciarum consuetudinem: et ordinatur, ad tollendam omnimodam suspicionem, ut per menses duos dicto tempori proximos, nulla fiat Fratrum mutatio sine magna ac manifesta necessitate; et si quemdam permutare opus esset, remittatur dein ad dandam vocem tempore electionis Discreti in loco, ubi prius erat de familia. Advertant RR. Patres Provinciales et Definitores, ut in dispositione familiarum et permutatione Fratrum, nil faciant quod rationabilem pariat suspicionem alicuius pro futura electione consilii: et intimato Capitulo Provinciali, in quovis loco Frater*

eligatur in Discretum, qui debeat ad Capitulum ire cum Patre Guardiano, secum deferens necessitates locorum et etiam Fratrum in particulari: et Vocalis sit ut Pater Guardianus.

Socii Ministri Provincialis habeant vocem activam et passivam in electione Discreti Conventus Capituli Provincialis, et idipsum intelligatur de sociis Rm̄i Patris Generalis (in loco Capituli Generalis), quando ibidem reperiri poterunt.

Praedicatores, cum ad praedicandum in Quadragesima non nimis procul iverint, ad suum locum redeant, ad faciendam Discreti electionem; si vero tam procul profecti fuerint, ut tempore huius electionis reverti nequeant, vel ad id vires eis non sufficiant, vocem habeant in suae Provinciae Conventu, qui vicinior sit loci in quo concionati fuerint.

Et Fratres, qui pedester adire non possunt, in Discretos ad Provinciale Capitulum ituros non eligantur: excepto si essent Capituli immediate peracti Definitores in actu.

Eligantur porro in Capitulo Provinciali quatuor Definitores, quorum duo ad summum possunt esse ex iis praecedentis Capituli; et in hac electione vocem habeant passivam omnes Vocales in loco Capituli praesentes; Ministri vero Provinciales in hac electione vocem habeant activam.

Ordinatur praeterea, ut, facta hac electione, in humilitatis signum, ad ostendendum animum nostrum sincerum et ab omni specie ambitionis alienum, RR. PP. Provinciales sponte renuncient officio suo omnique auctoritati in manus Definitorum a Capitulo electorum; et in per-

sectae abdicationis testimonium, sigilla in manus ipsorum tradent, omnium suorum defectuum culpam dicentes in publico Capitulo; et accepta humiliter poenitentia, ad electionem procedatur R. P. Provincialis: nulloque modo eligantur in Provinciales ii, qui non possunt iter pedester agere: et cum Provincialis electus fuerit, RR. Patres Definitores, nomine Capituli, mittant aut scribant Rm̄o P. Generali pro confirmatione, iuxta Clementinam; interim vero, donec responsum venerit, valeat officium exercere tanquam Minister electus, dummodo in ipsa versetur Provincia: et cum exactum fuerit triennium, non possit in eadem Provincia reelegi, sed in ipsa liber permaneat ab omni Praelatura per annum unum, et a Provincialatu per annos tres. Si tamen in alia Provincia fuerit electus, poterit illuc exercere officium per aliud triennium, ac dein cesset ut supra.

Decretum Clementis VIII et Urbani VIII (Vid. pag. 462).

1660. Lectionibus his finitis, Praeses ter interrogat Vocales, si quis impedimentum cognoscat sive ex parte eligendorum, sive ex parte eligentium, etc. etc. ut sub num. 1627; datur dein absolutio a censuris ecclesiasticis, invocatur Spiritus sanctus, emittitur iuramentum ab omnibus, designantur tres Disquisitores, et proceditur ad electiones, ut sub numero 1635 et seq. dictum est, servatis tamen servandis et mutatis mutandis.

1661. In mensa Disquisitorum parata sint duo vasa, acus cum filo, schedulae aequales, etc. etc. ut num. 1622 dictum est; quod valet etiam in electione Discreti.

1662. Scrutinia repetuntur usque dum electi sunt quatuor Definitores. Quod si intra 24 horas numerus Definitorum non esset completus, Vocalibus ab electione cessandum esset, et Ministro Generali ius competit omnium electionum quae peractae non sunt.

1663. Pronuntiatio electionum fit eodem modo, ut in electione Definitorum Generalium dictum est. Vide num. 1639 et seq.

1664. Facta promulgatione Definitorum, Electi se conferunt ad mensam Definitorum; Provincialis vero Sigillum primo Definitori vel Commissario Praesidi tradit, culpam in medio refectorii dicit, ac postea recedit, ut dictum est num. 1642.

1665. Postea proceditur ut sub num. 1643 et seq., servatis tamen servandis, ad electionem novi Provincialis et respective quinti Definitoris ac duorum Custodum.

1666. Facta promulgatione omnium electionum, ad quam etiam membra familiae per aliquot ictus ad tegulam ad refectorium vocantur, schedae comburantur, et scrutinia a Disquisitoribus subscribuntur, obsignantur Sigillo Provinciae, et statim a novo Definitorio cum littera commendatitia pro confirmatione novi Provincialis ad Ministrum Generalem mittuntur.

1667. Instituitur processio et reliqua peraguntur, mutatis mutandis, ut dictum est num. 1645 et seq. Notandum tamen est, quod sermo (vide num. 1648) omitatur, si ipse Praeses Capituli electus fuerit Provincialis.

§ III. — De ritu servando in Capitulo locali.

1668. In electione Discreti omnia observantur, quae in electionibus Capituli provincialis respective generalis dicta sunt, mutatis mutandis.

1669. Praeses huius electionis est Guardianus, qui etiam vocem activam habet.

1670. Ipsa electionis die, in Provinciis ubi talis laudabilis mos invaluit, post Missam conventualem, intra quam Clerici et Laici recipiant S. Communionem, dicitur servatis servandis (vide num. 1106) Missa votiva sollemnis de Spiritu sancto<sup>1</sup>, intra quam post Elevationem in Choro recitantur preces ut in n. 1535.

1671. Praeter Litteras citatorias Provincialis et Decretum Clementis VIII et Urbani VIII, legitur e capite octavo Constitutionum nostrarum pars incipiens a verbis: *In omni electione....* usque ad verba: *Capitula Provincialia* exclusive (vide n. 1625).

1672. Interrogantur Vocales, si forte aliquod impedimentum cognoscant, quod electionem alicuius nullam reddere possit, aut etiam votationem; invocatur Spiritus sanctus, et iuramentum praestatur, tacto libro Evangeliorum seu Missali, a Clericis et Laicis, sed tamen absolutio non datur.

1673. Si P. Provincialis Capitulum praesideat, ipse iuramentum non praestat, quia ad electionem non concurrat.

<sup>1</sup> S. Rit. C. 7. Aug. 1709; et Capit. gen. 1747, ad n. 7.

1674. Postea proceditur ad electionem. Si in quinto scrutinio nullus habetur eventus, Vocales omnes in rectorio disciplinam faciant recitando simul Ps. *Miserere*, et noviter invocatur Spiritus sanctus. Si etiam in sexto scrutinio nullus electus fuerit Discretus, privetur illa familia Discreto pro Capitulo provinciali proximo sequenti <sup>1</sup>. Tabula scrutiniorum nihilominus a Disquisitoribus subscripta et obsignata ad P. Provinciam pro Capitulo mittitur.

1675. Facta electione schedae comburuntur, et Litterae testimoniales a duobus Disquisitoribus subscriptae et obsignatae Electo traduntur, ut eas in Capitulo exhibeat. Superscriptio sic sonat: *Adm. Reverendis Patribus Ministro Provinciali et Definitoribus Capituli FF. Minorum Capuccinorum Provinciae N. N.*

1676. Totum finitur cum Oratione *Agimus tibi gratias, omnipotens Deus* et uno *Ave Maria*.

1677. Sic conficitur

TABULA SCRUTINIORUM.

*In nomine Domini Nostri Iesu Christi, eius SSmae Genitricis Mariae, ac Seraphici Patris nostri Francisci, totiusque coelestis Curiae triumphantis. Amen.*

*Haec est electio canonica (Rmorum Definitorum Generalium — Rmi P. Ministri Generalis — Adm. RR. Definitorum Provincialium — A. R. P. Ministri Provincialis — RR. Custodum huius nostrae Provinciae N. N. — Discreti huius loci nostri N. N., facta ex impositione A. R. P. N. N. Ministri Provincialis Provinciae N. N. —*

<sup>1</sup> Dec. Capit. gen. 1782, ad n. 7.

(N. B. Quando Capitulo provinciali praesens erit Min. Generalis, pronuntietur et dicatur: *Haec est electio canonica etc. facta ex impositione Rmi P. N. a N. Ministri Generalis totius nostrae Congregationis, praesidente ipso et assistente) in hoc loco N. N. facta hodie die .... mensis .... anni ....: in qua quidem electione vota habuere:*

| NOMINA ET NUM. VOCALIIUM<br>Num. Vocalium 110.<br>Inclusiva 56. | DEFINITORES |            | GENERALIS<br>vel PROVINCIALIS |            | CUSTODES<br>DISCRETI<br>I, II, Serut.<br>III, Serut. | ADNOTATIONES                    |
|---|-------------|------------|-------------------------------|------------|--|---------------------------------|
|   | I. Serut.   | II. Serut. | I. Serut.                     | II. Serut. |  |                                 |
| R. P. Antonius a N. .   | 7           | 10         | 2                             | 3          |  |                                 |
| R. P. Franciscus a N. .   | 1           |            | 52                            | 80         |  |                                 |
| R. P. Aloysius a N. . .   | 4           |            |                               |            |  |                                 |
| R. P. Marcus a N. . . .   | 11          | 14         |                               | 16         |  |                                 |
| R. P. Paulinus a N. . . .                                       |             |            |                               |            |  |                                 |
| R. P. Petrus a N. . . . .                                       |             |            |                               |            |  | passive non<br>concurrit.       |
| R. P. Andreas a N. . . . .                                      | 56          |            |                               |            |  |                                 |
| R. P. Iacobus a N. . . . .                                      |             |            |                               |            |  | inclusiva cum<br>scheda aperta. |
| R. P. Paulus a N. (†) .   | 31          |            |                               |            |  |                                 |

(†) Sequitur elenchus omnium Vocalium.

Et ego Fr. N. a N. Compromissarius, nomine meo et sociorum meorum Compromissariorum, virtute compromissi limitati in nos facti, eligo et electum (electos) esse pronuntio ipsum A. R. P. N. a N. Ministrum Generalem totius Congregationis nostrae (Provincialem — Definitores — Custodes — Discretum), in cuius (quorum) electione vestrum pars maior consentit. Amen.

Ex loco nostro N. die .... mensis .... anni ....

Fr. N. a N. Sacerdos, Disquisitor et Compromissarius, Cap. ind.

Fr. N. a N. Sacerdos, Disquisitor et Compromissarius, Cap. ind.

(L. ⚔ S.)

Fr. N. a N. Sacerdos, Disquisitor et Compromissarius, Cap. ind.

NOTA. In Litteris testimonialibus electi Discreti, post verba: *pars maior consentit*, adiungitur: *Rogamus igitur Adm. RR. PP., ut eum admittatis in nostro Capitulo provinciali ad omnia legitime celebranda, quae de iure ei competere bene noveritis. Valet.*

## CAPUT V.

DE RITU ADMINISTRANDI SACRAMENTA  
GRAVITER INFIRMIS, ET DE MODO IUVANDI MORIENTES.

§ I. — De ritu administrandi S. Communionem moribundis.

1678. S. Communio extra Ecclesiam ministratur vel per modum Viatici periculose aegrotantibus, vel ad implendum praeceptum Communionis paschalis, aut etiam ex devotione iis tantum, qui ob infirmitatem aut aliud impedimentum ad Ecclesiam convenire non valent.

1679. Communio pro Viatico ministratur, cum probabile est, quod infirmo periculum vitae immineat, aut saltem quod infirmus graviter aegrotet. Viaticum dari potest non ieiunis; quod si aeger sumpto Viatico aliquot adhuc dies vixerit, et perdurante eodem mortis periculo, iterum communicare desideret, denuo Viaticum ei non ieiuno dari potest, si ieiunus manere nequit, et quidem iteratis vicibus, si eadem adiuncta perdurant.

1680. Si dubitetur, an aegrotus S. Hostiam deglutire possit, et urgeat praeceptum Viatici, experimentum capiatur cum particula non consecrata vel re alia; si saltem partem S. Hostiae deglutire valet, pars ei detur; si prae ariditate oris et faucium difficile deglutit, haec prae aqua etc. madefiant et post sumptionem SS. Eucharistiae aliquid liquidum ei potus detur, ut facilius S. Hostiam deglutiat, vel sacra Hostia aut pars ei in decenti cochleari cum liquido porrigatur.